



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Eusebiu Tu Pamphilu Ekklesiastikē Istoría

Eusebius <Caesariensis>

Mogvntiae, 1672

Henricvs Valesivs Lectori.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14478

HENRICVS VALESIVS

LECTORI

Quemadmodum Eusebius noster quatuor suis de vita Constantini libris tria subjecerat opuscula; orationem scilicet Constantini ad Sanctorum curiam; descriptionem basilicæ Hierosolymitanae & donatistarum quæ Constantinus illic DEO dicaverat; panegyricum denique à se dictum in tricennalibus ejusdem Constantini: ita nos ejusdem exemplum secuti, adnotationibus nostris tres quatuorve subjungimus dissertationes. Prima est de ortu ac progressu schismatis Donatistarum usque ad Synodum Nicenam, id est, ad annum Christi 325. Secunda est Epistola de Anastasi & de Martyrio Hierosolymitano: in qua ostendimus unam duntaxat basilicam Hierosolymis à Constantino adificatam fuisse; non duas ut plerique ante nos crediderunt. Quæ quidem Epistola licet ante annos octo à V. C. Ioannæ Tristano fuerit edita, nunc tamen multo emendatior & auctior prodit. Tertia est Epistola ad Iacobum Vsserium, qua sententiam illius de versione 70. Interpretum, deque Hexaplis Origenis confutamus. Quarta ac postrema est brevis disquisitio de Martyrologio Romano quod edidit Rosveydus. Ac duarum quidem priorum lucubrationum mentionem jam feci in adnotationibus Eusebianis, easque ad calcem hujus operis exhibiturum me esse promisi. Quartam quoque dissertationem non obscure polliciti sumus in Notis ad caput ultimum libri septimi. Quod ad tertiam attinet, eam non abs re ut opinor hic adiciendam putavi, cum in eâ multa observentur quæ ad libri sexti intelligentiam possunt conducere, in quo Eusebius de versione 70. Interpretum & de Hexaplis Tetraplisque Origenis disserit. Has porro dissertationes ideo ad calcem rejecimus, ne interjectis prolixioribus opusculis, adnotationum continua series confunderetur, neve lectori semper ad ulteriora properanti moræ ac molestia afferretur. Accipe igitur, benevole Lector, quæ ad expositionem Eusebii & ad antiquitatis Ecclesiasticæ illustrationem à me pro virili parte collata sunt, & meum studium atque institutum æqui bonique consule.

DE SCHISMATE DONATISTARVM.

Post crudelissimam Diocletiani persecutionem: Apossimus, quæ Balduini ac Baronii oculos ac diligentiam fugerint. Ego verò non hujusmodi consilio ad hoc argumentum me contuli. Sed cum in tota hac Donatistarum historia, ac præcipue in his quæ ad initium atque originem schismatis pertinent, multas & maximas difficultates deprehendissem, privata utilitatis gratia hoc opus aggressus sum, ut & meipsum, si fieri posset, nodosis difficultatibus liberarem, & alios meo exemplo ad ejuſdem rei indagacionem accenderem.

C A P. I.

Orginem schismatis ab ordinatione Majorini esse repetendâ, docent Optatus & Augustinus. Sed quo anno contigerit ordinatio Majorini, non levis est difficultas. Baronius quidem promotionem Cæciliani & schisma Majorini confert in annum Christi sextum ac trecentimum: quæ fuit etiam sententia Fr. Balduini. Verùm ex Optati verbis facilissimum fuerit eorum sententiâ refellere. Scribit enim Optatus in libro 1. Felicem quandam diaconum; qui adversus tyrannum Imperatorem famosam Epistolam scripsisse arguebatur, metu judicii territum; apud Mensurium Carthaginensem Episcopum delinxisse. Cùmque Mensurius sæpius de